



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. VII. Alia Invocatio dulcissimi Nominis Iesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

cundissimo, hoc mellifluo, hoc salu-
tifero nomine tuo, Jesu, Jesu, Jesu.

§. VII.

*Alia Invocatio dulcissimi Nominis
Jesu.*

ANTIPHONA.

IN nomine Jesu omne genu flecti-
tur, cœlestium, terrestrium, & in-
fernorum: & omnis lingua confitea-
tur, quia Dominus noster Jesus Chri-
stus in gloria est Dei Patris.

Jesu splendor Patris, Jesu candor
lucis æternæ Jesu Sol Justitiæ, Jesu
lux mundi, Jesu illuminatio nostræ
illumina oculos famuli tui ne um-
quam obdormiat in morte, & pro-
pter gloriam nominis tui esto ei Jesu
Resp. Amen.

Jesu redemptio nostra, Jesu pro-
pitatio nostra, Jesu sanctificatio no-
stra, Jesu salus nostra, Jesu bono pa-
stor, quem venisti redimere per d-
tum

rum, non damnare redemptum: sed propter gloriam nominis tui esto ei Jesus. *Resp.* Amen.

Jesu fortitudo nostra, Jesu refugium nostrum, Jesu consolatio nostra, Jesu protectio nostra, Jesu auxilium nostrum, redime de interitu animam famuli tui, & non confundas sperantem in te: sed propter gloriam nominis tui esto ei Jesus *Resp.* Amen.

Jesu Judex vivorum & mortuorum, Jesu legifer noster, Jesu medicus noster, Jesu mediator hominum, Jesu advocate ad Patrem, parce famulo tuo quem redemisti pretioso Sanguine tuo, & non in æternum irasceris ei: sed propter gloriam nominis tui esto ei Jesus. *Resp.* Amen.

Jesu amor noster, Jesu desiderium nostrum, Jesu divitiarum nostrarum, Jesu gloria nostra, Jesu Deus noster, extingue in hoc famulo tuo terrenorum affectum, & in pectore ipsius tui amoris ignem accende, ac propter gloriam nominis tui esto ei Jesus: ut post vitæ hujus cursum inter

N 3 sanctos

sanctos & electos tuos, eam perpetuæ gloriæ percipiat portionem, quam oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quam præparasti diligentibus te.
Resp. Amen.

O R A T I O.

O Bone Jesu, ô piissime Jesu plene misericordiâ & pietate: ô dulcis Jesu, secundum magnam misericordiam tuam miserere huic famulo tuo infirmo: ô clementissime Jesu, te deprecamur per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates ipsius, & respicias in eum humiliter veniam deprecantem, & hoc sanctum nomen Jesu invocantem. O nomen Jesu, nomen dulcissimum, nomen delectabile, nomen Jesu, nomen confortans! quid est enim Jesus nisi Salvator? ergo Jesu propter nomen sanctum tuum esto ei Iesus & salva eum: ne permit-

tas eum damnari quem tu de nihilo
 creasti: ô dulcis Iesu, recognosce
 quod tuum est, & absterge quod a-
 lienum est. O benignissime Iesu, mi-
 serere ei dum tempus est miserendi:
 & ne damnes eum in tempore judi-
 candi: Non enim mortui laudabunt
 te Dômine, neq; omnes qui descen-
 dunt in infernum. O amantissime
 Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitis-
 sime Iesu, ô Iesu salus in te creden-
 tium, ô Iesu salus ad te confugien-
 tium, ô Iesu dulcis remissio pecca-
 torum omnium, ô Iesu Agnus Dei,
 ô Iesu fili David, ô Iesu fili Mariæ
 Virginis: libera famulum tuum ab
 omnibus tentationibus quibus eum
 angustiatum esse cognoscis: & mit-
 tere digneris Sanctum Angelum
 tuum de cœlis, qui eum custodiat,
 foveat, protegat, visitet & defendat:
 atque animam ipsius in hora exitus
 sui, in Paradisum exultationis dedu-
 cendam illicò suscipiat. *Resp. Amen.*

Vers. Sit nomen Domini benedi-
 ctum.

N 4

Resp

Resp. Ex hunc nunc, & usque in
saeculum.

§. VIII.

Quoniam utilis & grata nonnullis,
Dominicae Passionis recitatio, ostendi illam.

*Passio Domini nostri Iesu Christi
secundum Ioannem.*

In illo tempore : Egressus Iesus
cum Discipulis suis trans torrentem
Cedron, ubi erat hortus, in quem
introiit ipse, & discipuli eius. Stabat
autem & Iudas, qui tradebat
eum, locum : qui frequenter Iesus
convenerat illuc cum discipulis suis.
Iudas ergo cum accepisset cohortem,
& à Pontificibus & Phariseis
ministros, venit illuc cum lanternis
& facibus, & armis. Iesus itaque
sciens omnia quæ ventura erant super
eum, processit & dixit eis :
Quem quaeritis ? Responderunt ei
Iesum.